

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1711

Auteur(s) : H., Les Préaux, Saint-Pierre de Préaux (abbé)

Bénéficiaire(s) : Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1235, juin

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Accord entre les moines de Préaux et ceux de Beaumont au sujet des dîmes du Tremblay et de la Neuville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° LIV, p. 48-49.

Texte établi d'après a

Universis ad quos presens scriptum pervenerit. H., Dei gratia, abbas, et conventus Sancti Petri de Pratellis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod de communi consensu et voluntate, permutationem fecimus cum viris religiosis R priore de Bellomonte et ejusdem loci conventu, assensum ad hoc venerabili patre nostro domino R Ebroicensi episcopo, nec non et religiosis et honestis viris H Dei gratia, abbate, et conventu de Becco prestantibus, pensata utriusque monasterii utilitate, super omni eo quod habebamus et habere poteramus in decimis in villa de Trembleio et de Nova villa, scilicet omnium terrarum que sunt de feodo dictorum prioris et conventus de Bellomonte, et in decima franche terre apud Trembleium, que est de feodo domini abbatis Beccensis, et in decima de octo acris terre apud Novam villam, que fuerunt Richerii, quas tenet modo Robertus prepositus, dictis priori et conventui in perpetuum possidendum. Nos vero et successores nostri, ad defentionem dictorum prioris et conventus de Bellomonte et successorum ipsorum, super rebus predictis tenorem instrumentorum nostrorum res predictas contingentes sub sigillis autenticis, et, si transcriptum non sufficerit, ipsa instrumenta sub fideli custodia nostra cum opus fuerit exhibebimus. Dicti vero prior et conventus de Bellomonte in recompensationem dicte permutationis concesserunt nobis et successoribus nostris quicquid ipsi habebant et habere de jure poterant in decimis parrochiarum Sancti Petri de Salerna et Sancti Cirici ; item in decima molendini de Salerna et porcherie, et ovium, et censuum, et foreste, et pasnagii, et forifactorum placitorum ejusdem ville, in perpetuum nobis possidendum. Et quoniam totum illud quod dicti prior et conventus nobis concesserunt estimatum est minus valere, legitima facta computatione quam illud predictum quod eis concessimus, idcirco ipsi et successores ipsorum tenentur reddere nobis et successoribus nostris, singulis annis unum modium frumenti ad mensuram Novi burgi, nec de viliori nec de meliori, de medio inter melius et villius quod tunc invenietur in foro Novi burgi, et duos modios ordeï ad mensuram Bellimontis, in granchia sua apud Novam villam, in mense octobri percipiendos. Presbiter vero de Combon in granchia dictorum prioris et conventus apud Novam villam septimam dictarum decimarum percipiet, sicut in granchia nostra apud Combon percipere consuevit. Et sciendum quod si ipsi et successores eorum nobis et successoribus nostris predictum bladum in dicto mense non solverint, pro qualibet septimana post dictum mensem qua per illos steterit quominus dicti tres modii nobis solvantur, quinque solidos usualis monete nobis pro pena tenebuntur resarcire. In predicta vero permutationis testimonium et confirmationem, presenti scripto sigilla

nostra duximus apponenda. Et ut eadem permutatio perpetue firmitatis robur obtineat, sigillum venerabilis patris nostri R, Dei gratia, Ebroicensis episcopi, in cujus dyocesi decime predictae consistunt, presenti scripto apponi procuravimus. Actum anno Domini M° CC° XXXV°, mense Junii.